



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Impugnantur sententiæ oppositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

su, & ratione nostra, & non ex simplici fide.

135. Secunda classis est eorum, qui admittunt ob-
jectum formale, seu motivum fidei ex parte in-
tellectus, non tamen consistens in aliquo præ-
dicato Divino, sed in evidentia rerum in se ip-
sif, sive immediata, ex ipsa scilicet termino-
rum apprehensione, sive mediata, nempe per
discursum habitam; sic sentiunt plures Manichæi,
de quibus Div. Augustin. libro de utilitate cre-
dendi cap. 1. refert, eos docuisse, nihil cre-
dendum esse, nisi quod humana ratione asse-
qui possumus, eundemque errorem Sanct. Bern-
ardus Epistola 190. ad Innocentium tribuit A-
bailardo, multique ex modernis Hæreticis ip-
sum mordicus defendunt.

136. Tertia classis est eorum, qui pro objecto for-
mali fidei assignant aliquid Divinum, quos in-
rer est magna dissensio; nam aliqui assi-
gnant Deitatem, ut contradistinctam à sapien-
tia, & veracitate. Ita Aureolus in prologo de
unitate Theologiæ art. 3. cui favet Ripalda di-
sputat. 2. de fide sect. 11. Alij primam verita-
tem in cognoscendo, ut contradistinctam à ve-
racitate in dicendo; ita plures cum Valentia
tom. 3. disp. 1. quæst. 1. sub §. difficultatum
quarundam. Alij econtra assignant veritatem,
seu veracitatem in dicendo, non autem in co-
gnoscendo. Ita plures cum Cajet. 2. 2. q. 1.
art. 1. qui etiam excludunt cum Esparza, &
Gonnetto revelationem externam, solumque
admittunt internam pro objecto formali Divi-
næ fidei; at de revelatione creata, seu externa
redibit postea sermo; quæstio enim præsens so-
lum est de objecto formali Divino circa quod.
Quarta classis est eorum, qui illud reponunt in
ratione primæ veritatis in cognoscendo, simul-
que in ratione primæ veritatis, seu veracitatis
in dicendo. Ita communiter Nostri cum Exi-
mio Doct. disp. 3. de fide sect. 4.

SECTIO II.

Impugnantur sententiæ oppositæ.

137. **A**Ssero 1. contra primam Authorum classem.
Actus Divinæ fidei circa objecta revelata
habet ex parte objecti motivum assentiendi;
ita, ut neque ab habitu, neque à præcepto Divi-
no suppleri possit, determinandò intellectum ad
eliciendum actum Divinæ fidei circa objecta re-
velata absque ullo respectu ad Divinum testi-
monium, quod moveat ad talem assensum. Pro-
batur 1. ex testimonijs Sacræ Scripturæ passim
obviis, exigentibus à nobis fidem, jubendò nos
credere mysteria, quia DEUS ea revelavit,
& propter summam ejus veracitatem, ut con-
stat ex testimonijs adductis num. 63. Ut enim
Scriptura nos excitet ad supernaturaliter, firmi-
ter, & absque hæsitacione credendum, propo-
nit ita motivum fidei; *Spiritus est, qui testifi-
catur, quoniam Christus est veritas*: & subdit:
*Si testimonium hominum accipitis, testimonium
Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei,*

quod majus est; ergo est contra Scripturam ad-
mittere actum supernum Divinæ fidei, quo fidei
mysteria credamus absque respectu ad Divi-
num testimonium nos movens tanquam obje-
ctum formale Divinæ fidei.

Confirmatur 1. ex Paul. 1. ad Thesalonicen-
ses 2. eorum fidem ita explicante: *Accepistis
illud non ut verbum hominum, sed ut verè est ver-
bum Dei*; & ex 1. Joannis 5. *Qui credit in Fi-
lium Dei, habet testimonium Dei in se*; Unde
Ambrosius lib. 2. Epistola 12. ad Valentinia-
num, *Cæli mysterium doceat me Deus ipse, qui
condidit, non homo, qui Deum ignoravit, cui
magis de Deo, quàm deo credam*; & August. lib.
de Spiritu, & littera cap. 32. *Non dubium est,
illam fidem ab Apostolo commendari, qua credi-
ditur Deo*; sed hæc omnia, ut expendenti con-
stabit, manifestè significant infallibile DEI
testimonium esse motivum, & quidem insup-
plebile Divinæ fidei; ergo &c. Confirmatur
2. ex illo Christi Joannis 15. *Si non venissem, &
locutus eis non fuisset, peccatum non haberent:
nunc autem excusationem non habent de peccato
suo*: sic etiam cap. 18. subdit: *Ad hoc veni in
mundum, ut testimonium perhibeam veritati*; qui-
bus ex verbis clarè consequitur, Deum ut te-
stificans esse objectum formale Divinæ fidei;
ergo &c.

Probatur 2. Sicut objectum voluntatis est
bonum; ita objectum intellectus est verum; er-
go, sicut voluntas nihil potest amare, nisi pro-
pter motivum bonitatis, quæ apparet; ita in-
tellectus nulli objecto poterit assentiri, nisi ap-
pareat verum, vel immediatè, & in se, vel me-
diatè, & in alio, quòd cum illo habeat conne-
xionem; atqui propositiones istæ, [Deus est tri-
nus, Verbum est Incarnatum]; adhuc supposito
habitu fidei apparent neutræ, & non potius ve-
ræ, quàm falsæ, ut patet in illo, qui baptizatus
fuit in infantia, & accedit ad usum rationis, quin
audièrit quidquam de fide; ergo non potest in-
tellectus illis immediatè assentiri; sicuti neque
assentiri potest huic propositioni, [astra sunt pa-
ria], sed quòd ex apprehensione terminorum ma-
neat neutra; uude ad assensum fidei, qui myste-
riis illis adhibetur, necesse est, ut ea mysteria
appareant vera in testimonio DEI infallibili
revelante, quod est objectum formale insupple-
bile Divinæ fidei. Confirmatur 1. & præoccu-
patur Adversariorum responsio; voluntas non
solum naturaliter, verum neque supernaturali-
ter instructa habitu charitatis potest amare,
quod non repræsentatur ut bonum; ergo intel-
lectus non solum naturaliter, verum neque su-
pernaturaliter instructus habitu fidei poterit as-
firmare objectum, quòd non appareat, ut ve-
rum.

Confirmatur 2. Licet propositiones illæ ali-
oquin neutræ possint per illustrationem Spiri-
tus Sancti, apparere ex apprehensione termino-
rum non quidem neutræ, sed veræ, lumen il-
lud supernaturale non esset proprium habitus fi-
dei, sed luminis gloriæ, aut scientiæ infusæ, ac-
que

que adeo assensus ille non esset Divinae fidei, ad assensum quippe fidei Divinae essentialiter requiritur, quod habeat pro motivo auctoritatem DEI dicentis; etenim fides tam Divina, quam humana essentialiter respicit tanquam objectum formale aliquod testimonium; sicut scientia proprie dicta respicit demonstrationem, & hac ratione differt ab omni alia cognitione; atque juxta illam Scoti, & Adversariorum opinionem assensus, quo crederemus res fidei, v. g. *Deus est trinus*, non niteretur ulli testimonio tanquam objecto formali, sed ipsi veritati objectivae ex apprehensione terminorum per se nota; ergo assensus ille non esset fidei Divinae, proindeque ad assensum Divinae fidei indispensabiliter requiritur motivum DEI testificantis.

341.

Probat 3. ex absurdis, quae Scotus vidit, atque insoluta reliquit; fieret enim 1. puerum baptizatum, atque adeo habitu per se infuso fidei instructum ita, atque ad usum rationis venerit, facta sibi qualibet propositione mysterij Trinitatis, & aliorum omnium, quae in Scriptura continentur nullo docente, aut proponente ea esse à DEO revelata, agnitorum veritates illas, ex ipsa terminorum apprehensione per se notas, proindeque necessario illis assensurum actu fidei Divinae, nullo habitu respectu ad testimonium Dei dicentis, quod planè est absurdum. Quare exinde fieret 2. necessarium non fore piam affectionem, seu voluntatis imperium ad credendum, sed motum quodam, quasi per modum naturae præstandum assensum fidei Divinae sine libertate, & sine merito, quod ex Scriptura, & omnium auctoritate falsum est; licet enim præsupposita instructione de Divino testimonio per se solam non sufficiente ad tollendam omnem formidinem, possit illustratio Spiritus Sancti instructionem illam afficiens evidentiam credibilitatis supplere, & excludere omnem formidinem impediendam attentionem ad motiva retrahentia, ut docent plures Theologi, de quo infra à nobis agendum est; at intellectus, ut eliciat actum fidei, nisi non potest tali instructione adhuc ut affecta illa illustratione, quae solum est applicatio Divini testimonij ad credendum, sed potius niti debet ipsi Divino testimonio proposito, & approximato, propter quod firmiter credat quaecumque à DEO dicta, etiamsi supra captum nostrum sint; atque ita manet libertas, saltem quoad exercitium, & locus pie affectioni voluntatis, ut laribus infra constabit. Quare, actus Divinae fidei nequaquam elici potest, nisi habeat pro motivo formali, & quidem per convenientiam attracto, ut diximus à num. 55. & 63. Divinum testimonium, propter quod assentimur.

342.

Atque exinde impugnata manet Guilielmi opinio ad hanc quoque primam Authorum classem spectans, ut dixi n. 134. Ratio est, quia Scripturae Sacrae adductae à num. 112. nostram fidem referunt, non quidem in DEUM præcipientem, sed in DEUM dicentem; de conceptu enim communi fidei est, assentiri propter

testimonium dicentis; atque adeo de conceptu Divinae fidei, propter testimonium Dei dicentis; ergo & contra Scripturas, & rationem simul Theologicam est, asserere, non esse motivum formale Divinae fidei infallibile testimonium DEI dicentis, sive DEUM ut verum in cognoscendo, & dicendo. Quapropter Auctor iste suam explanationem se in terminis implicat, dum ait, fidem assentiri mysterijs, non quia DEUS est verax, sed quia DEUS præcipit. Ratio est, quia eo ipso, quod intellectus assentitur, quia DEUS præcipit assensum, proponitur intellectui DEUS ut verus in testificando, ac proinde intellectui proponitur motivum veritatis, ut ratio formalis assentiendi; ergo dicere, quod intellectus ita assentitur, & non assentitur, quia DEUS verax est, manifestè est, in terminis implicare; sic, quando amamus aliquid, quia Deus præcipit illud amandum, representatur voluntati objectum illud bonum, aliter non posset voluntas illud amare; cum amare non possit objectum, nisi sub ratione boni; unde, sicut dicere, quod voluntas ita amaret, & non amaret, quia DEUS præcipiens non potest præcipere rem malam, sed bonam, esset in terminis implicare; ita dicere, quod intellectus assentitur, quia Deus præcipit, & non representatur Deus non potens dicere, nisi verum, est in terminis implicare; indubitabile quippe est, non minùs pertinere ad motivum intellectus veritatem, quam ad motivum voluntatis bonitatem.

Assero 2. contra secundam classem, quae est Hæreticorum: humana ratio non est fundamentum, in quo per se nititur fides Christiana; unde ratio humana non potest esse objectum formale Divinae fidei. Hæc assertio quoad primam partem est de fide; quoad posteriorem vero est Theologica, & certa. Probat 1. ex Paulo 1. Corinth. 2. dicente: *Prædicatio nostra non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis, in fides nostra non fit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*; per quae verba, & per totum illud caput satis expresse impugnat Paulus istum Hæreticorum errorem, & ideo 2. ad Corinth. 10. dicebat, oportere captivare intellectum in obsequium Christi; quae autem esset intellectus captivitas, si illa tantum crederet, quae per rationem vera esse cognosceret? certe Sacrosancta Trinitas, Incarnatio, & alia quaedam capita nostrum excedunt; at, quia Deus ea revelavit firmissimè credimus.

Quare Math. 11. Christus dixit Petro, *Cave & sanguis non revelavit tibi*; per carnem, & sanguinem, intelligens naturam, ejusque vires, & ideo addidit, *sed Pater meus, qui in Cælis est*. Sic etiam dixit Math. 10. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis*; & Joannis 3. *Si terrena dixero vobis, & non creditis, quomodo si dixerero celestia, credetis*; unde Joannis 1. dicitur, *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Exinde Augustinus

Augustinus serm. 1. de Trinitate ait: *Fidelis sum, credo, quod nescio, & tractatu 40. in Joannem circa illud, Nisi credideritis, non intelligetis; sic Scribit, Credimus, ut cognoscamus, non cognoscimus, ut credamus.* Idem docent S. Dionysius, Basilus, Nazianzenus, Hilarius, Damascenus, alijque PP. quos affert Eximius Doctor disp. 3. de fide sect. 1.

145. Probatur 2. conclusio, & explicatur prima maxima Adversariorum æquivocatio. Valde diversa sunt motivum formale Divinæ fidei, & prærequisita ad tale motivum; namque Divinæ fidei testimonium est DEI loquentis, in quo unice fides nostra fundatur, ut ex Scrip. PP. & rationibus adductis n. 137. constat. Sic voluntas amans objectum, quia bonum, quod ipsi ab intellectu repræsentatur, non habet pro motivo, cui innitur, cognitionem repræsentantem, sed bonitatem repræsentatam. Cognitionem quippe respicit ut prærequisitum; hæc fides nostra ut prærequisitum respicit rationem humanam, qua testimonium Divinum circa mysterium revelatum sit nobis evidenter credibile, atque impossibile cum omni formidine, saltem prout affectum illustratione Spiritus Sancti, ut supra diximus, & latius infra dicemus.

146. Non enim crederemus prudenter, si ratio non ostenderet rem illam esse prudenter credibilem, atque intellectus judicaret, oportere credere infallibile Dei testimonium; hæc enim ratio est necessariò prærequisita ad fidem; quo in sensu intelligitur illud Eccles. 19. *Qui cito credit, levis est corde;* & 1. Joannis *Probate Spiritum, an ex Deo sit,* tum etiam 1. ad Thessal. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete;* præsuppositò autem hujusmodi prærequisitò intellectus non captivatur propter rationem naturalem; sicut voluntas non amat propter cognitionem, sed propter bonitatem à cognitione repræsentatam. Itaque intellectus non captivatur propter rationem naturalem, sed propter Dei testimonium infallibile repræsentatum, quamvis testificentur ea, quæ supra naturalem captum sunt, dumodo agnoscat ea à Deo esse testificata; ergo motivum formale Divinæ fidei nequaquam reduci potest ad rationes naturales, sed ad infallibile testimonium Dei dicentis.

147. Affero 3. contra Authores tertie classis, neque sola prima veritas in cognoscendo, præscindendò à veritate, seu veracitate in dicendo, neque sola prima veritas in dicendo, præscindendò à prima veritate in cognoscendo est adæquatum objectum formale Divinæ fidei. Probat. 1. Ad fidem testificantem duo sunt necessaria, unum est, ut falli non possit, aliter enim, quantumvis sit rectus, & prudens in loquendo, timeri posset, ne fallatur; aliud est, ut non decipiat, nec voluntariè alios fallat; si enim fallere posset, non esset infallibilis res dicta ex præciso testimonio dicentis; atqui ad primum istorum necessaria est veritas in cognoscendo; ad secundum autem necessaria est veritas in dicendo; ergo u-

traque concurrunt ad constituendum objectum formale Divinæ fidei. Confirmatur. In qualunque virtute Theologica, ut habet Divus Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 5. necessarium est, ut objectum formale ejus sit regula in suo ordine suprema, & non indigens aliâ regulâ, ut in charitate est summa bonitas, in spe summa fidelitas, vel potentia promittentis; in fide summa veritas, in utraque ratione cognoscendi, & loquendi; atque ex utraque conlurgit adæquatum objectum Divinum, prout spectat ad fidem; si enim Deus fallere posset, vel posset falli, non possemus esse certi de infallibilitate dicti, eò quòd ab ipso Deo diceretur; ergo neque sola veritas in cognoscendo, neque sola veritas in dicendo est objectum formale adæquatum Divinæ fidei.

148. Probatur 2. & explicatur ulterius eadem ratio: illud est objectum adæquatum formale Divinæ fidei, à quo mysterium revelatum habet supremam infallibilitatem à prima veritate procedentem: objectum enim Divinæ fidei à Deo loquente, & testificante, tanquam à prima veritate, qua informatur id, quod dicitur, debet reddi infallibile; atqui non potest reddi infallibile à sola veritate in cognoscendo: quamvis enim Deus omnia cognoscat, ut sunt in se, si posset difformare dictum cum mente, res ab ipso dicta, non maneret infallibilis. Rursum, quamvis Deus esset verax in dicendo, neque difformare posset dictum cum mente, si concipere posset res aliter, ac sunt in se, non maneret infallibilis res à Deo dicta, ut ex terminis patet; at ex perfectione primæ veritatis in cognoscendo, qua infallibiliter cognoscit Deus res, ut sunt in se, & ex perfectione primæ veritatis, seu veracitatis in dicendo, qua difformare non potest dictum cum mente, manet ab hac utraque perfectione Divina res dicta infallibilis; ergo utraque hæc Divina perfectio requiritur indispensabiliter ad objectum formale Divinæ fidei.

149. Respondebis 1. ex doctrina Ripaldæ, totam hanc infallibilitatem haberi, quamvis actus fidei sistat in Deo, quatenus Deus est præcisè in essendo, præscindendò à prima veritate in cognoscendo, & dicendo; at proinde non requiritur ad objectum formale Divinæ fidei rationem primæ veritatis in cognoscendo, & dicendo, sed sufficere præcisam rationem Deitatis; nam excellentia Deitatis præscindendò à sapientia, & veracitate, confert se ipsa immediatè tantam dignitatem suis testimoniis, ut removeat omnem irreverentiam intellectus, eundemque cogat ad reverentiam; dissensus autem adhibitus testimoniis Dei, est irreverentia; assensus verò est reverentia erga Deum. Quare Deitas se ipsa præscindendò à veracitate, & sapientia movet sufficienter intellectum ad assensum divinæ fidei; sicut enim in humanis majestas Regia immediatè confert dignitatem suis testimoniis, ita, ut cum pari sapientia, ac veracitate, majorem incurrat irreverentiâ, qui Regi, quam qui homini privato contradicit; quod sanè fieri non

non posset, nisi testimonium Regium magis, quam privatum conciliaret fidem; ita majestas Deitatis seipsa, & immediate, præscindendò à veracitate, & sapientia, dignificabit sua testimonia.

150. **Contrà 1.** Si credentem interrogemus, cur credis, quia Deus dicit; non aliter respondebit immediate, nisi dicendò, quia Deus in cognoscendo, & dicendo infallibiliter verus est; nec possumus, nisi stultè ulterius interrogare, cur credis illi, qui nec falli, nec fallere potest; ergo immediata illa perfectio Divina, cui innicitur act^o Divinæ fidei, non est Deitas præscindendò à veracitate, & sapientia, sed est ipsa veracitas, & sapientia, quam indispensabiliter habet ipsa Deitas. **Contrà 2.** Deitas, quæ Deitas non aliter esse potest objectum formale Divinæ fidei, nisi quatenus constituitur metaphysicè ex sapientia, & veracitate; cum essentialiter constituitur ex omnibus prædicatis necessariis absolutis, ut constat à num. 90. de Deo; si enim aliquis stultè conciperet, DEUM potentem fallere, aut falli, eo ipso non posset firmissimam fidem adhibere Divinis testimoniis, ut ex terminis patet; ergo Deitas ut præscindens à veracitate, & sapientia, non potest esse sufficiens objectum formale Divinæ fidei.

151. **Contrà 3.** Licet coloratum sit objectum formale visus, quatenus colorem habet, & colorem habeat, quatenus habet mixtionem primarum qualitatum; nihilominus hæc mixtio primarum qualitatum non pertinet ad objectum formale visus, sed est radix illius; quod enim ibi realiter invenitur, si consideretur in DEO ex modo nostro concipiendi, quamvis Deitas esset radix sapientiæ, & veracitatis Divinæ, à quibus dictum Dei formaliter redditur infallibile; actus fidei nostræ assentiens infallibiliter objecto, quia à DEO dicto, non innicitur immediate Deitati tanquam motivo, sed veracitati, & sapientiæ Divinæ; ac proinde non Deitas ita considerata, sed sapientia, & veracitas erit objectum formale nostræ fidei; ex quo apparet æquivocatio Adversarij fundata in majestate Regia; nam objectum formale humanæ fidei, quæ magis Regi credimus, quam privatæ personæ æquali sapientiæ, & veracitate præditæ, non est Regia majestas, sed ipsa sapientia, & veracitas in regia majestate fundata; quatenus dignitas Regia non censeri debet dicere, nisi quod sibi optimè constat, & quatenus esset major defectus in Rege, quam in privato homine asserere, quod non scit, vel aliter, ac scit; ita tamen, ut motivum credendi Regi ad illius veracitatem, & sapientiam nobis propositam reducendū sit. Quis enim crederet Regi, si alioquin sciret, quod fallere vellet, aut quod falleretur? ergo motivū formale fidei adhibitæ Regi, licet applicari possit per cognitionem majestatis, non tamen fundatur in regia majestate, sed in sapientia, & veracitate Regia nobis proposita.

152. **Respondebis 2.** ex alijs Recentioribus, non requiri indispensabiliter hanc utramque perfectionem primæ veritatis in cognoscendo, & di-

cendo: quandoquidem sine illis concipi potest motivum fidei infallibile. Fingamus enim, quod DEUS semper cognosceret res aliter, ac sunt in se, & quod semper diceret aliter, ac cognosceret; hoc enim in calu non conciperetur cum perfectione primæ veritatis in cognoscendo, & dicendo, & tamen quidquid ab ipso diceretur, omnino esset infallibile: si enim, quando datur Incarnatio, DEUS cognosceret, quod non daretur, & diceret aliter, ac cognosceret, diceret, quod daretur, quod quidem dictum infallibile esset; quare ad infallibilitatem Divinæ fidei, non est necesse indispensabiliter recurrere ad illam utramque perfectionem.

Contrà tamen 1. Objectum formale fidei non est chymæricum, sed reale, & verum, & tale quidem, ut moveat ad assensum propter autoritatem testificantis: sed in calu Adversariorum tale objectum non esset verum, sed chymæricum, nec posset movere ad adhibendum consensum propter meritum testificantis, sed potius intellectus assentiret propter testificantis demeritum, ut ex terminis patet: ergo in illo calu conficto non daretur objectum formale fidei. **Contrà 2.** & explicatur ulterius eadem ratio; quando meritum testificantis movere non potest ad assensum rei dictæ, licet intellectus posset conclusionem certam inferre ex principiis, ex quibus arguit infallibilitatem cum re dicta; at non potest fidem adhibere dicenti; fides enim fallum dicenti, aut decipere volenti adhiberi non potest: esset enim fidem habere sine fidei essentia; ergo in illo calu conficto, licet intellectus haberet fundamentum ad discurrendum, & inferendam veritatem rei dictæ, non posset habere fundamentum ad adhibendum fidem dicenti; ac proinde illæ confictæ imperfectiones non possent esse objectum formale Divinæ fidei; verum de his latius disp. sequenti.

Respondebis 3. ex alijs Recentioribus, hanc utramque perfectionem primæ veritatis in cognoscendo, & dicendo, non esse indispensabiliter necessarias ad objectum formale Divinæ fidei; cum potius sint superabundantes, minorque perfectio, quam illa sufficiat; nam, si per impossibile supponamus, quod DEUS non sit summè sapiens, & verax, sed finitè verax, & sapiens, v. g. in ordine ad mille veritates, idque DEUS revelat, affirmans se nihil revelaturum, nisi id, quod bene cognoscit, & modò, quo cognoscit; in eo calu intellectus nostro haberet ex merito testificantis sufficiens fundamentum ad firmiter assentiendum rebus à DEO dictis; tunc autem non concurreret ut objectum formale Divinæ fidei prima, & secundæ veritas in cognoscendo, & dicendo, proindeque hæc utraque perfectio Divina non est indispensabiliter necessaria ad objectum formale Divinæ fidei.

Contrà tamen 1. Eo ipso, quod Deus revelaret, se non esse summè sapientem, & veracem, naturaliter cognosceret intellectus, illum non esse Deum, proindeque non posset adhibere fidem

dem ipsi tanquam DEO, neque actus ille esset Divinæ fidei; ergo, ut actus sit Divinæ fidei, indispensabiliter requiritur, quod habeat pro objecto formali motivo illam utramque Divinam perfectionem. Contrâ 2. Si DEUS fieretur, se non omnia cognoscere, ut sunt in se, neque se in omnibus esse summè veracè, sed solum in aliquibus, eo ipso præstaret intellectui fundamentum ad dubitandum, an id, quod Deus modò dicit, sit unum ex illis, quæ non cognoscit, ut sunt in se, vel quæ non testificatur, ut cognoscit, sed eo ipso non haberet intellectus motivum ad assentiendum super omnia præcisè, quia DEUS dicit; ergo &c. Contrâ 3. Suppositio ista ab Adversarijs conficta non compeit DEO vero, sed ficto; ergo actus huic veritati innixus non esset actus veræ fidei Divinæ, sed fidei Divinæ confictæ. Contrâ 4. Ut aliquis actus sit actus veræ fidei Divinæ, non satis est, quod innitatur motivo infallibili, sed requiritur, quod innitatur motivo unicè convenienti primæ veritati infallibilizanti ipsius dictum; atqui motivum conveniens primæ veritati, quod ipsius dictum infallibilizat, adæquatur ex veritate in cognoscendo res omnes ut sunt in se, & in dicendo; quidquid dicitur per conformitatem cum cognitione; ergo &c.

156. Respondebis 4. non repugnare actum verum fidei, qui immediatè non innitatur primæ veritati revelanti; cum possimus elicere actum verum fidei, quin actu cogitemus de primæ veritate, propter quam credimus, ut docet Exim. Doct. disp. 8. de actibus humanis sect. 3. num. 4. & 6. quare duplex illa Divina perfectio in cognoscendo, & dicendo non est necessaria indispensabiliter ad actum Divinæ fidei. Hæc responsio confundit omnino fidem objectivam, & fidem formalem Theologicam, & Divinam, quarum distinctio constat ex Scripturis adductis num. 126. atque exinde actum fidei formalis, qui est actus divinæ fidei, de quo agimus, & quo credimus innitendò intrinsicè, & immediatè primæ veritati revelanti, confundit cum actu fidei objectivæ, quo ea objecta, & mysteria revelata credimus, vel per conclusionem Theologicam, vel per actum supernum elicitem ex speciebus relictis ab actibus fidei formalis, seu divinæ, & Theologicæ, quin per talem actum intrinsicè, & immediatè attingamus primam veritatem revelantem. Exinde

157. Contrâ 1. Licet dari possit verus actus fidei objectivæ, quo nempe mysteria, sive objecta fidei credimus, ut diximus à num. 104. & 122. & satis perspicuè apparet in conclusione Theologica, atque etiam sine discursu in actu superno elicito ex speciebus relictis ab actibus fidei formalis, quo ad DEUM loquentem non reflectimus, neque tunc de Deo loquente cogitamus, atque adeò talis actus non innititur intrinsicè, & immediatè Deo loquenti; ad eum modum, quo ægrotus, qui se exercuit in volenda medicina amara propter sanitatem, solet postea ex speciebus relictis ab illis actibus, eli-

R. P. Gormaz Theolog. Tom.

cere actum, quò vult medicinam illam, quia tunc cogiter de sanitate; at non potest dari verus actus fidei formalis, quin intrinsicè, & immediatè assentiatur propter testimonium Dei loquentis, quod respicit per convenientiam, ut constat ex tota disp. 2. præsertim à num. 63. sed exinde manifestum est, dari non posse verum actum fidei formalis, qui immediatè, & intrinsicè non innitatur primæ veritati revelanti; licet possit dari verus actus fidei objectivæ, qui intrinsicè, & immediatè primæ veritati non innitatur; ergo ad verum actum fidei formalis necessaria indispensabiliter est illa duplex perfectio primæ veritatis.

158. Contrâ 2. Quia in hac responsione confundunt Adversarij duo toto Cælo diversa; quod sic ostendo; aliud quidem est actus ex formali fide procedens, in quo virtualiter perseverat fides formalis; & aliud est ipsa formalis fides; sicut aliud est formalis intentio finis, & aliud est effectus ex formali intentione finis procedens, in quo formalis intentio virtualiter perseverat, ut diximus à num. 142. de actibus humanis. & ferè omnes Theologi expressè docent; ergo, licet verus actus fidei objectivæ ex actu formalis fidei procedens, & in quo formalis fides virtualiter perseverat, non innitatur intrinsicè, & immediatè primæ veritati revelanti, perperam exinde inferitur, actum verum fidei formalis non inniti intrinsicè, & immediatè primæ veritati revelanti. Contrâ 3. Actus fidei formalis eo modo respicit primam veritatem revelantem, quo actus potentiæ visivæ respicit colorè, vel lucidum coloratū, ut constat à n. 53. actus verò fidei objectivæ ex formali fide procedens non ita respicit primam veritatem revelantem, sicut visio respicit colorem, vel lucidum coloratum, ut ex terminis patet; ergo, licet actus verus fidei objectivæ non innitatur intrinsicè, & immediatè primæ veritati revelanti; at actus verus fidei formalis non potest non inniti intrinsicè, & immediatè primæ veritati revelanti; sicut actus potentiæ visivæ non potest non inniti intrinsicè, & immediatè colori. Ex dictis

159. Fit 1. perperam adduci ab Adversarijs Eximium Doctorem pro ipsorum sententiâ, quandoquidem in ea disputatione citata de actibus humanis sect. 3. quando tanquam absurdum infert, similiter nunquam quis crederet actu vero fidei, nisi actu cogitaret de primæ veritate revelante, propter quam credit, & quando subjungit num. 6. & est similiter in actu fidei, quando quis formaliter credit propter primam veritatem, quamvis non actu conficiat syllogismum, neque actu credat tunc DEUM esse summam veritatem primam revelantem, tunc enim non loquitur de actu fidei formalis divinæ, & Theologicæ, sed de vero actu fidei objectivæ, quo formaliter creditur, & attingitur objectum fidei, & procedit ab actu formalis fidei. Ratio est, quia, quando loquitur de vero actu fidei formalis Theologicæ, & divinæ, docet, respicere primam veritatem revelantem; sicut

Dddd

sicut

ficuti potentia visiva respicit lucidum coloratum. Sic enim explicat conclusionem suam cum Capreolo disp. 3. de fide sect. 12. num. 9. declarat hoc Capreolus exemplò visus, & DEO placentem, quia DEUS sic revelavit, licet oblata occasione eleemosynæ sit actualiter immemor revelationis divinæ, operatur tamen ductus doctrinæ, quam didicit in schola fidei divinæ, & ita ea operatio procedit virtualiter ex actu fidei, quia operatur ex dictamine, quod comparavit in schola fidei; nam, ut dixi supra, præmissæ continentur virtualiter in conclusione, tanquam causa in suo effectu, quando scilicet conclusio deducta fuit tempore antecedenti ex illis præmissis; & idem est de objecto formali motivo intellectuali, quod antecederet determinavit ad actum iudicii; sicut ergo, cum Theologus reminiscitur conclusionis, immemor præmissarum, ex quibus elicit eam conclusionem, tunc ea conclusio continet virtualiter præmissas; ita, cum fidelis, qui credit mysterium Trinitatis ex determinatione auctoritatis Dei revelantis; cum assentitur mysterio Trinitatis, immemor revelationis, is assensus, quia est effectus auctoritatis Dei revelantis cognite, hanc continet virtualiter: hucusque Cardenas; ex quibus verbis patet doctrina Eximij Doctoris, ut à nobis exposita, & sibi ubique conformis.

160. At verò, quando loquitur de actu fidei locis citatis num. sup. in ea sect. 3. de actibus humanis, notat talem actum non respicere primam veritatem revelantem, sicut potentia visiva respicit lucidum coloratum; unde manifestum est, tunc non loqui de actu fidei formalis divinæ, & Theologicæ, sed de actu fidei objectivæ, in quo fides formalis virtualiter perseverat tanquam in effectu à fide formali procedente; sic enim habet ea sect. 3. num. 6. exemplum de lumine, & colore non est simile; quia lumen est quoddam visibile, quod necessarîo immutat potentiam; & ipsa immutatâ, & non impeditâ necessarîo agit; non sic est de voluntate, & intellectu. Quæ porro est ratio, cur detur actus fidei objectivæ ex formali fide procedens, in quo formalis fides virtualiter perseverat, quin ille actus attingat primam veritatem revelantem, & non detur actus potentia visivæ ex formali visione procedens, & in quo virtualiter perseveret formalis visio, qui actus non videat lumen.

161. Fit 2. Actum fidei objectivæ ex formali fide procedens, & in quo fides formalis virtualiter perseverat, quam maximè conducere ad doctrinam moralem actus humanos respicientem; ratio est, quia valde probabile est apud Theologos, nullum dari posse meritum vitæ æternæ, nisi procedat ex fide; at, ut ita procedat, satis est, quod voluntas illuminetur ab actu superno fidei objectivæ, in quo virtualiter perseverat fides formalis, licet tunc non adsit fides formalis. Propter doctrinæ utilitatem non gravabor referre verba P. Joannis de Cardenas supra propositiones ab Innocentio X. damnatas dissertatione 16. quæ sic habent: *Veram censeo sententiam, quæ docet, nullum opus meritorium vitæ æternæ fieri, nisi procedat ex dictamine fidei supernaturalis; ita ut neque opera hominis Catholici meritoria sint præmijs supernaturalis, nisi procedant ex doctrina fidei;* quod non sic intelligendum est, ut ad opus meritorium præmij supernaturalis, sit omnino necessarium habere actualiter actum formalem fidei, quo dicitur v. g. credo propter auctoritatem Dei revelantis, eleemosynam esse bonam, & Deo placentem; sufficit enim, quod præcedat virtualiter actus fidei.

162. Quod Author iste sic explicat: sicut enim Philosophus tenet conclusionem, quam didicit, licet non recorderetur actualiter fundamenti, quo innititur conclusio; & sicut Mathematicus o-

peratur ea, quæ didicit, licet actualiter immemor fundamenti; & sic in alijs scientijs, ita, qui in schola fidei didicit, eleemosynam esse operationem sanctam, & DEO placentem, quia DEUS sic revelavit, licet oblata occasione eleemosynæ sit actualiter immemor revelationis divinæ, operatur tamen ductus doctrinæ, quam didicit in schola fidei divinæ, & ita ea operatio procedit virtualiter ex actu fidei, quia operatur ex dictamine, quod comparavit in schola fidei; nam, ut dixi supra, præmissæ continentur virtualiter in conclusione, tanquam causa in suo effectu, quando scilicet conclusio deducta fuit tempore antecedenti ex illis præmissis; & idem est de objecto formali motivo intellectuali, quod antecederet determinavit ad actum iudicii; sicut ergo, cum Theologus reminiscitur conclusionis, immemor præmissarum, ex quibus elicit eam conclusionem, tunc ea conclusio continet virtualiter præmissas; ita, cum fidelis, qui credit mysterium Trinitatis ex determinatione auctoritatis Dei revelantis; cum assentitur mysterio Trinitatis, immemor revelationis, is assensus, quia est effectus auctoritatis Dei revelantis cognite, hanc continet virtualiter: hucusque Cardenas; ex quibus verbis patet doctrina Eximij Doctoris, ut à nobis exposita, & sibi ubique conformis.

Fit 3. Actum supernum fidei objectivæ, in quo perseverat virtualiter actus fidei formalis, non esse actum primarium, neque secundarium fidei Theologicæ, ex dictis num. 71. cum non attingat aliquid divinum intrinsicè, ut objectum formale quod, neque procedat à virtute Theologica se sola operante, ut eo num. 71. mihi probabilius esse dixi. Censio enim, species illas relictas non esse puras determinationes, ut habitus adæquatè concurrat, sed esse partem causam partialem habitus superadditam, cum concurrant ex parte objecti, ut ait Augustinus, *ex objecto, & potentia pariter nobis.* Unde illi actus experimentales non pertinent adæquatè ad fidem adhuc reductivè. Quare solum pertinent reductivè in adæquatè. Ratio est, quia habitus per se in se non solum deservit ad eliciendos suos actus formales se sola tanquam virtus ex parte potentia; & principaliter elevans operandò, sed etiam concurrat ad illos, qui ad eam virtutem reductivè in adæquatè pertinent, & in quibus virtualiter perseverant sui actus formales. Sic habitus spei Theologicæ, licet eos solum habeat formales actus spei, qui tendunt in bonum futurum, cum sint desiderium fiduciale. At partialiter concurrat etiam cum speciebus relictis à suis actibus formalibus ad eliciendum actum, qui partialiter reductivè pertinet ad spem; cum non sit desiderium fiduciale, neque respiciat bonum futurum, sed præfens, quale est gaudium ex actibus spei procedens. Unde Paulus ad Romanos 12. dicit, *gaudentes.* Concurrat equidem partialiter ad gaudium, quia in illo virtualiter perseverat actus spei. Idemque suò modò est de habitu

tu acquisito, ut apparet in exemplo de aegrioto adducto num. 153. Quare, sicut virtus non dividitur adequatè in Theologicam, & moralem ex dictis num. 67. ita neque actus virtutis dividitur adequatè in Theologicum, & moralem, quin potius inter actus virtutis ab eadem virtute procedentes, alij procedent adequatè ex parte principij stabilis, alij inadæquatè; alij pertinent formaliter; alij solum partialiter reductivè ad illam virtutem; unde virtus considerata in ordine ad suos actus tum formales, tum partialiter reductivos, præscindit ab eo; quòd attingat intrinsecè, vel extrinsecè suum objectum formale.

S E C T I O III.

Solvuntur Opposita.

164. **O**bjicies 1. ex Scoto; licet istæ propositiones, *Deus est trinus, Verbum est Incarnatum*, non sint ex terminis notæ, atque adeò postquamlibet notionem ex illarum terminis, & naturaliter habitam maneant nobis neutræ, id est neque veræ, neque falsæ; nihilominus habitus fidei supplet causalitatem terminorum, & vi sua determinat intellectum ad assensum immediatum rei per se obscuræ; ergo motivum habitus fidei non est prima veritas in cognoscendo, & dicendo; sed veritas ipsa terminorum. Probatür aut. licet propositio aliqua sit nobis ex terminis nota imperfectè, & obscurè, ut multoties accidit, at ex frequenti repetitione actuum, quibus habitus intenditur, jam ea propositio initio non satis clara, evadit tandem clarissima; & notissima; ergo potest eodem modo per habitum fidei per se infusum suppleri causalitas terminorum. Confirmatur. Ex intensione habituum crescit promptitudo, & inclinatio ad assensum scientiæ, ut experientia constat; ergo eodem modo totalis, & omnimoda determinatio ad firmum assensum divini fidei provenire poterit à præstantissimo habitu fidei per se infuso.

165. **R**espondeo neg. ant. ad probationem conc. ant. & neg. consequentiam; nam, licet unusquisque habitus repetitione, & usu actuum perficiatur in suo genere, etsi propositio nota efficiatur notior; at habitus ex repetitione actuum non crescit, neque perficitur in diverso genere. Unde habitus fidei suppleri non potest evidentiam, & causalitatem terminorum: nam habitus fidei deservit ad assensum obscurum, & inevidentem; assensus autem obscurus, & inevidens genere differt à claro, & per se noto; quare incrementum habitus fidei, cum non possit esse in diverso, sed in suo genere, dirigi non potest ad assensum per se notum, sed ad majorem virtutem in ordine ad actum bonum; & inevidentem; sic opinio quantumcunque intensa non potest transire in scientiam, neque conclusiones scientiæ in prima principia; si enim habitus fidei suppleret causalitatem, & motionem

terminorum, jam illa propositio *Deus est trinus, & unus*, præsentè habitu fidei fieret evidens, & per se nota ex terminis; nam causalitas terminorum consistit in hac evidentia, qua termini apparent clarè inter se connexi, proindeque habitus fidei generaret assensum evidentem, qui eo ipso non esset actus fidei, sed intellectus primi principij; cum non esset incrementum in genere fidei, sed diverso pertinente ad prima principia.

Ad confirmationem concessio antecedente de habitu acquisito deserviente ad facile posse in genere; neg. consequentiam. Ratio est; quia habitus fidei per se infusus non dat potentiam ad assentiendum mysterijs per se obscuris, nisi ubi adest motivum sufficiens ad firmissimam fidem illis adhibendam; quale est illud, quia DEUS summè sapiens, & verax revelavit; sic habitus scientiæ nunquam inclinat intellectum, ut assentiatur conclusioni immediatè propter se sine ullo ordine ad præmissas; aliter produceret actum, qui non esset scientiæ, sed assensus primi principij, quod implicat. Quare, cum habitus fidei infusus non inveniat infallibilitatem sui generis, necessariam scilicet ad credendum actum divinæ fidei, nisi innitendò infallibili DEI testimonio, per actuum repetitionem acquiri duntaxat potest major facilitas ad assentiendum propter DEI testimonium; non autem potest acquiri virtus ad habendam evidentiam terminorum.

167. **O**bjicies 2. Licet mysteria revelata v. g. *Deus est trinus, & unus, Verbum est Incarnatum*, sint ex se neutra; ad eum modum, quo hæc altera propositio, *astrasunt paria*; nihilominus potest, & debet suppleri ab habitu fidei causalitas terminorum; ergo absque ullo alio formali motivo habitus infusus fidei determinat intellectum ad assentiendum mysterijs revelatis. Probatür antec. non possum assentiri mysterio revelato, quia DEUS testificatur, nisi assentiendò divino testimonio revelanti; ut nos fatemur à num. 59. & 63. atqui istud divinum testimonium apparet nobis neutrum, & nihilominus ad assentiendum illi determinatur ab habitu fidei; ergo, licet ipsum mysterium revelatum appareat nobis ut neutrum, possumus per habitum fidei determinari ad assentiendum illi. Probatür min. vel assentior testimonio Dei per aliud testimonium Dei, & sic procedo in infinitum, quod dici non potest; vel assentior testimonio Dei absque ulla ratione formali assentiendi, scilicet per ipsum habitum, qui immediatè determinat intellectum ad assensum, atque ita supplet causalitatem terminorum respectivè ad testimonium divinum; ergo quamvis testimonium divinum appareat nobis ut neutrum, nihilominus habitus fidei determinat intellectum ad assentiendum illi.

168. **R**espondeo nego antec. ad probationem conc. maj. & neg. min. ad probationem dico, me assentiri testimonio DEI dicentis sufficienter ratione ipsius testimonij non quidem, ut apparet neutrum, sed quando est præviè cognitum